

SOLEMNIA GRATVLATIONIS,

Sponso nobilissimo, generisque antiquitate, et eruditionis fama in cluto,

DOMINO,

JO. BENEDI-
CTO CARP-
ZOVIO,

Jcto celebri,

ET

JO. CHRISTI-
ANAE,

Sponsae

Lectissimae, ex generoso Reinhardtianae stirpis

Sanguine prognatae,

IPSO NVPTIARVMSACRO,

quod in factis VI. Cal. Octobris

A.O.R.M.DCCI. designat,

*Ex Sanctiori Clientelae Lege, et pietate erga utramque familiam,
consecrata*

Joanne Dopperto, Francofurtensi.

Praelo Functionario apud veteres Dresenos.



192
Vem diem saepius optavi, et
repetitis subinde votis praefla-
granti animi desiderio expetii,
is tandem immortalis et prae-
potentis Dei auspicio feliciter
eluxit, is, inquam, dies, qui jungit duas fami-
lias meritorum gloria, et illustrium factorum
in Saxonum Marchionumque gentem peren-
nitate illustres, mihiqve in memoriam revo-
cat sanctissimam mentis religionem, et obse-
quens pietatis studium, quo *Reinhardtum* et
Carpzovium, eximium virorum Par, et sine
exemplis maximum, prosequor, hac compel-
latione solenni pro munere concessio officii
sanctimoniam exsolvens. Utraque familia
nominis celebritate gaudet, et longa serie ma-
iores in aula, pariter ac in Ecclesia insignes, ve-
luti in Theatrum, solenniter constitutum, et
in aperto loco, omniumque aspectui exposito
erectum, producere potest: Reinhardtiana
per diuturni, et non uno saeculo terminandi,
temporis spatium Marchiam illustravit, sibi-
que Pr. Electores assiduitate et vigilantia pro
salute, et incolumitate regionum, et consilio-
rum sanctitate devinxit, eoqve cum primis
Joannem Sigismundum, Georgium Vilbel-
mm,

mum, et *Fridericum Magnum* adduxit, ut sibi feligerent *Eliam*, *Samuelem*, *Joannem Georgium*, et ex materno latere virum in *Marchia immortalis memoriae*, et *felicis recordationis Fridericum Pruckmannum*, magnisque rebus praeficerent, ac summis maectarent honoribus, et, ponderatis sapienter meritis, in maximum, sanctisque tantummodo destinatis rebus consilium cooptarent. *Joannes Fridericus*, felix imaginum antiquae stirpis propagator, gloriam, a majoribus acceptam, in stemmate feliciter conservat, et ab avita virtute, familiaeque exemplis, inter quae proavi tempora praecesserunt, et veluti stellae, eximie coruscantes, in familia exsplenduerunt *Jacobus*, et *Hieronimus*, alter *Cancellarii*, alter vero *assessoris* in summo imperii tribunali dignitate gavisus, ne utiqvam discedit, gratamque praestat operam *Friderico Augusto*, *Martio illi Sarmatarum Regi*, et *Heroi in Sago invictissimo*, cujus gratiam, Regiamque benevolentiam diversis temporibus luculenter perspexit, cum ejus patrocinium in se susciperet *Antonius Egon*, ex illustri *Furstenbergiorum* sanguine prognatus, eumque *Regi*, ut virum, publicae utilitati, et *Saxonum*

cum primis emolumento natum, singulari virtutis, prudentiae, et meritorum, quibus gloriosos *Joannis Georgii II.* Saxoniae Nestoris, et eius filii *Joannis Georgii III.* Germaniae Achillis, animos antea sibi devinxerat, fama indutus commendaret. Nec minus celebratur Carpzoviorum familia, quae produxit incomparabiles viros, et in varia doctrina, studiisque abstrusioribus prorsus singulares, quae in lucem edidit, doctisque donavit BENEDICTVM, eximium Jurisprudentiae oraculum, alterumque nationis suae Papinianum, et *Friedericum* BENEDICTVM, virum, nominis aeternitate sine meo Elogio dignum: prioris gloria in Scriptis floret, et nulla temporum vetustate consummetur; alterius memoriam posteritati commendat illustris, et ultra conditionem privati hominis exquisitus Bibliothecae thesaurus, quem eruditionis amplificandae, et animi, a fori negotiis lassum, relaxandi gratia ex variis Regionibus per viros, cum quibus crebrius literarum commercium exercebat, conquisivit, ex quo procul dubio flores, varietate jucundos, nobilissimus Polyhistor excerptis, quos suo tempore exorituros, fructusque uberrimos, et eruditis perquam
gra-

gratos prolaturos, non vana spe illecti complures opinantur. Haec est illa familia, quae, posthabita illorum recordatione, qui in Principum penetralia admissi, Iosephi exemplo integras regiones et provincias administrarunt, summisque in iure dicundo tribunalibus per tempora, quousque mens mea respicere potest, pro innata huic genti sapientia profuerunt, quae, inquam, divino Numine tot veritatis vindices, tot fidei assertores, tot facundos in Sacro suggesto oratores, qui propemodum pristinorum gloriam, Chrysofomi, Basilii, Nazianzeni, et aliorum Ecclesiae luminarium exaequant, tot denique divinioris Sapientiae oracula progenuit; quae ecclesiae, et Lipsiensium Academiae in perenne gloriae ornamentum dedit JOANNES BENEDICTOS, Theologos, vel sola nominis commemoratione venerandos, et, qui adhuc mortalitate fruitur, SAMVELEM BENEDICTVM, Virum, a Deo excitatum, ut sua prudentia, et exquisitiori salutaris doctrinae cognitione conqvasato Ecclesiae statui succurrat, Saxoniamque salvam et incolumem ab omni in Sacris perversa doctrina conservet. Has Familias, et generis splendore, et merito-

B

rum

rum immortalitate illustres jungit hodie-
nus dies, arctiusque inter eas foedus, amicitia-
amque sanctiorem, et in sanguinis propin-
quitate innixam constituit, dies utrisque fa-
miliis fausto fidere, et coelo benigno exortus,
clientibusque exoptatus, qui certatim vota
pro auspicio perennitatis perpetuae offerunt,
et precandi religionem obsequendi lege ob-
servant, mirisque jucunditatibus, ac laetis ac-
clamationibus hanc nuptiarum solennita-
tem, non veterum Masiliensium consuetudi-
ne, quam Stagirita, et Athenaeus summo ju-
re vituperant, in vitam, sed divino munere, et
prudentibus utriusque familiae consiliis fa-
ctam, transfigunt, finiunt, absolvunt. *Joannes
Benedictus* Sponsus avito splendore insignis,
et corporis, pariter ac mentis dotibus eximie
ornatus, et *Joanna Christiana*, Sponsa, in
quam Gratiae contulerunt, quidquid modo
eximium, et venusto foeminarum sexui con-
veniens esse potest, celebrant nuptias, et eas
virtutes, quas utraque pars huc usque sepa-
ratim habuit, conjungere, et in unum, seros-
que nepotes transferre festinant, quas alter
alteri si invidisset, religionem, sanguini debi-
tam, violasset, et magno, ac futurae spei prae-
claro

claro thesauro utramque familiam, posterita-
temque privasset. Animus Joannis Benedi-
cti defixus haeret in Sponsa, et in nullum ali-
um oculorum delicias, et radios, meras gratias
et cupidines vibrantes, conjicit Joanna, prae-
terquam in suum BENEDICTVM, inter
utrosque jucunda mentis consensio, et amor
ingenuus, ac hominibus, nascendi sorte inely-
tis, decens animadvertitur, certissimum sine
ulla conjecturandi peritia praesagium, perau-
spicati et felicissimi connubii, et non humana
tantum ope, sed maxime praepotentis Dei nu-
tu, in gaudium utriusque familiae, et in vin-
culum constrictioris propinquitatis, et non
nisi morte dissolvendum, contracti. Perci-
piunt iccirco miram laetitiam ex utraque par-
te Parentes Nobilissimi, ac Carpzoviorum
Stirpi in Posteris nominis gloriam, familiae-
que aeternitatem pollicentur, talesque natos
ex hac conjunctione, tempore opportuno, ac
mense, in Fastis non iniquo, facta, ominantur,
quales virtutes utriusque stemmatis expo-
scunt, merita utrinque et in Ecclesiam, ac au-
las magnorum Principum collata requirunt,
tandemque sanctimonia Sponsi, aequae ac
Sponsae jure suo, et veluti praemium integri-
tatis,

tatis, morumque innocentiae, promereri videtur. Personat hoc gaudium in aedibus VVeckianis, ac fere penetrat ad Sancta Musarum Adyta, excitatque adeo Patronum omnis doctrinae et politioris eruditionis hoc nuptiarum Sacrum, ut inprimis gaudium hodierno die Affini contestetur, quem dudum tulit in oculis, ac propter communia studia, et raram Antiquitatum, ad forum cumprimis pertinentium, et exquisitam variarum rerum scientiam eximie dilexit. In hujus solennitatis communionem veniunt, et elonginquo laetitiae indicia et gratulationes, pro auspiciis, et felici necessitudinis incremento mittunt Berolinenses et Lipsienses, utrique sanguinis jure vincti, et arctiori familiis nexu constricti, utrique de hoc connubio, divinitus instituto, sibi gratulantur, ac suis familiis novam laetandi materiam, novamque nominis ac dignitatis accessionem obtigisse, non vano profecto augurio, et aperta mentis explanatione profitentur. Quin ergo Sponse, solennes audi acclamationes, audi gratulationes, ab amicis et cognatis hodierna luce profluentes, percipe vota, pio animo, et religiosa observantia erga nomen Carpzoviorum a Clientibus

bus concepta, quod nomen dudum immortalitati
innexum denuo virescere, et splendida hac solenni-
tate in novum furculum, stirpique exoptatum pro-
germinare videtur. Fuit certe tempus, quum opta-
sti, Carpzovi, talem tibi matrimonii fide devincire
virginem, quae natalium splendore et tuae virtuti,
et majorum meritis responderet, quaeve tuam stir-
pem sua luce collustraret, ac avitas virtutes, et in ipso
sangvine infixas, ad posteros traduceret, quae jam
olim suae familiae amor et delictum, nunc tibi oble-
ctamentum molestiarum, firmamentum domus
ac nominis, tandemque seminarium antiquae tuae
stirpis, et serae felicitatis esset. Nuncauctus es coe-
lesti illo bono, habes justae uxoris loco Joannam
Christianam, cum eaque accepisti decus, supra o-
mnia mortalia effulgens, accepisti sociam, et illarum
Rerum, quae sanctissima semper cura a mortalibus
muniuntur, quasve attingere, aut ullo prorsus mo-
do atrectare profanae manus ex Sacrorum casti-
tate prohibentur. Joanna, nobile sexus sui orna-
mentum, pollicetur, quidquid in hac mortalitate,
multis molestiis, animique perturbationibus obse-
pta, jucundum Tibi accidere poterit, Joanna transit
in familiam, et tuum decus adaugere cupit, Joanna
paulatim in abditos tuae mentis recessus se insinuat,
non prius abs Te recessura, quam migrandi legem
imperet Deus, qui fati legem constituit, ac pro aeter-
na sapientia jucundam vivendi rationem cum me-
liori vita commutare jubet. Maeste ergo his laetis
auspiciis, Sponse, fruire hac auspicata nuptiarum
jucunditate, et fruire ex animo, et sine ulla fruendi
satiestate, cape feliciter exoptati matrimonii fructus,
et constantem mentis pariter ac corporis oblectatio-
nem quaere in dulcissima tua uxore, quam ideo tibi
Deus reservavit, et hodierno die in perpetuum vi-

C

tae

tae adjuventū confociavit, ut Tuas emolliat curas, et suo auxilio rem Domesticam subleuet, negotiaque familiae distingvat, et tandem molestias, animique tristitiam temperet, aut prorsus jucunda vivendi consuetudine, et blando verborum alloquio propulset. Abeant proinde, et ab his nuptiarum Sacris arceantur Philosophi, quos inter ipse Socrates, Ciceronis testimonio Princeps illius Philosophiae, quae in morum studio occupatur, Zeno, Critolaus, Epictetus, et complures ex Epicuri discipulis, qui vituperant hoc sanctum vitae institutum, ab ipso Sapientissimo Numine in Horto, omnis amoenitatis, et deliciarum plenissimo, sancitum, in ipsa mortalium natura impressum, et a piis Patribus Heroibusque inclyti sanguinis, ab ultimis nascentis Terrarum orbis primordiis per sancte observatum. Hoc Solenne gaudium, hunc diem Junoni consecratum, ne conturbet Theophrastus, qui Hieronymo auctore librum de nuptiis evulgavit, in quo, conquisitis undique rationibus, dissvadere laborat, ne sapiens, et a vulgo distinctus commercium ineat cum foemina, aut per connubium libertatis pristinae, et sapientiae, ex veterum monumentis hauriendae, jacturam patiatur. Ab hoc nuptiarum convivio removeatur Joannes Sarisberiensis, Scriptor Prudens, et supra saeculi, in quo vivebat, conditionem eruditus, qui propemodum Theophrasti vestigia premit, quamvis subinde idoneam prudentiam, et benignius de matrimoniorum sanctitate judicium interponere videatur. Cautius et cum prudentiae nervis hoc argumentum excutit Lipsius, vir in Antiquorum sapientia, et prudentum, quacunque aetate vixerint, scriptis apprime versatus, qui Theodoro Leevino, de matrimonio ineundo consultanti dubie respondit, et tandem, ponderatis
utrin-

que cum temporis, tum aetatis rationibus, pro more suo accurate, sapienter-
 que conclusit. Quae cum ita sint, et haec solennis nuptiarum celebritas, et
 perpetua animorum consensio, in Praepotentis Dei Numine, et amplissimis
 utriusque familiae capitibus innitatur, restat nihil amplius, nisi ut feliciter,
 praecisa omni mora, et posthabita sapienter utopienfium consuetudine Joan-
 nam Tuam domum, haudquaquam vero in hortum, verusito Qviritium mo-
 re, deducas, cum eaque Junoni Sacra persolvas, et eam tunc pariter, ac reliquae
 felicitatis, in hac mortalitate conjugibus, ex amoris vinculo copulatis, obtin-
 gentis, Sociam constituas, ex eaque heredes exspectes, quae Carpzoviani no-
 minis gloriam augeant, familiae Decora amplificent, et tandem majorum
 exemplis fuscitati per eandem virtutis viam ad immortalitatem gloriae,
 stirpisque perennitatem grassentur.

Iustae uxoris loco (Discrimen inter uxorem justam vel legitimam, et injustam five
 minus legitimam tradunt juris periti, et utriusque matrimonii subinde in Pandectis ju-
 ris Civilis fit mentio, huc referenda est L. I. D. Unde vir et uxor. Legitimi vero tan-
 tum, qui cum iusto paria facit, meminit L. 37. D. De iure §. ult. ad Munic. Ex Poetis,
 quamvis ex Iusu, legitimam definit, falso ad Quintum Epigrammata N. 75. L. 5. Mar-
 tialis, quem erudito commentario ornavit Mathaeus Raderus, Lojolita in politioni Li-
 teratura egregius, qui prudenter refecit Epigrammata obscena, et morum probitati
 adversa, quidquid alii dicant, qui ejusmodi sordibus et inquinamentis delectantur. Te-
 rentius scriptor nitore, et elegancia latini sermonis insignis, non tamen sine magna
 cautione, et prudenti Comici morum observatione, juvenuti a sapientibus magistris,
 qui plurimam partem in iis locis, ubi quondam Sylburgii, Micylli, et Jontii regnabant,
 nescio, qua fati lege, aut iniqua ignorantium obreccatione, disparuerunt, explanandus,
 haec verba consignavit in Phormione Actu I. Sc. 2. si uxorem velit lege, id licere fa-
 cere, sin aliter negat; Sic omnino distingvendus videtur locus, non ut alias vulgares le-
 gunt editiones, et, quod miror, ipsa etiam Lindenbrogiana, quae Lege adlicere refe-
 runt, non ad uxorem. Discernendi iudicium non interposuit Donatus, optimus Comi-
 ci interpret, sed plurimam partem cum iactura eruditi Orbis amissus aut depravatus.
 Eracnate quicquid adhuc superest, exhibetur in Edit. Lindenbrogiana, quae Francof.
 lucem adpexit, 1623, et reliquis non sine ratione ab intelligentibus praefertur. Saepi-
 us quidem Graeci Characteres vitiosi exprimuntur, quod Codicum iniquitati adscribit
 Lindenbrogius, qui in emendando hoc Scholiaste duo exemplaria habuit, Pithoeo-
 rum opera diligenter ad MSS. Codices Antonii Contii, et Jacobi Cujacii, Cl. apud Bi-
 turiges Ictorum collata. Ovidius elegans Poeta, sed morum lascivia notandus Lib. 2.
 de Arte amandi satis indicat, quid significet lege et sine lege nubere: Verba Ovidii
 haec sunt.

Non Legis iustu lectum venisti in unum,
 Fungitur in dubio munere Legis amor.

Quam Latini appellant uxorem justam, eam Graeci dicunt νόμιμον, hinc legas apud
 Dionysium, egregium Romanae antiquitatis explanatorem, καὶ νόμιμος συνελεύθουσι, & Plutarchum in Collatione Antonii cum Demetrio διδάσκω γαμινθῆσαι, et e contrario apud
 Zosimum, Historicum prudentem, sed saepius, quamvis interdum non sine ratione,
 Christianis Imperatoribus iniquum, & καὶ νόμιμος συνελεύθουσι, et Plutarchum cit. loc. μη
 καὶ νόμιμος συνθῆσαι. Dicitur ergo iusti vox in jure de Viro et uxore, ubi consueta signifi-
 catione iustae nuptiae eae appellantur, quae absolvuntur inter Cives, hominesque
 ingenuitatis nota insignitos, adhibitis Caerimoniis, et ritibus in legibus praescriptis,
 injustae vero, quae praetermissis legum solennitatibus solo affectu maritali perfici-
 untur. Hoc modo iustae nuptiae erant deportatorum, peregrinorum et pellicum:
 Livius certe Libro 49. pellicem iustae uxori opponit, et Justinus L. 10. C. 1. Teren-
 tius amicum quoque iustae uxori contraponit. Utrasque nuptias Cajus jctus. L. 1.
 inf. contra Fori consuetudinem, et morem bonis scriptoribus usitatum, appellat le-
 gitimas, has, quia legibus approbatae sunt, et a legitimis nomen servant, L. 3. D. de
 Concub. illas, quoniam legibus ipsis constitutae sunt ac comprobatae. Cum his nul-
 lum prorsus habent Commercium nuptiae quotidianae, quarum meminit Plautus, pro

PK 2a 5030

more suo obfcenus, hinc ex Scholis Sapientiae exterminandus, et ex Graecis Demofthenes, qui eas γάμους καθήκεινός appellat. Ex dictis locis quodammodo lucem capit Cicero L. 3. De Orat. ubi in nuptiarum nuptiarum meminit, quam expreffione didicit a Graecis, qui hoc loquendi genere non raro delectantur. Loca fuppeditat Petrus Victorius, Italus Doctiffimus, et Joanni Caelio, immortalis juliae fuae ornamento, per colloquia et epiftolas apprime notus V, L. L. 10, C. 12.

Sarisberienfis) Agit de hoc argumento in Policratico L. 8. C. X. p. 500. edit. Plantin. anni 1595. in F. M. quae editio priori est praefenda, cum multa ad ejus commendationem contulerint, B. Vulcanius, Janus Duza, et Francifcus Nanfius, Critici fuo tempore celebres, et in fcriptis apud pofteros immortales. Plura de hoc auctore legas in Epiftolis, quas Thomas Becketus collegit, et in gratiam eruditi orbis apud Britannos in lucem publicam protraxit. Difplicet mihi deductio, quam de nuptiarum voce inftituit, fed faeculi infelicitati hunc deducendi modum condono, quem accuratius tradunt Fungerus, Martinius, Voffius, qui multa Martinio refert accepta, ut Aegidius Menagius, Doctiffimus inter Gallos juris interpres, in juris aemoinatibus dudum obfervavit.

Lipfius) legitur haec Epiftola Centur. 1. Miscell. et tricefimam ac primum locum complet. In ea proverbium adducitur, Fulmenta lectum fcandunt, quod praeter Erafinum in Chiliadibus exponit Turnebus, Adverf. L. 15. C. 5. Cum haec Epiftola conf. ea, quae legitur Centur. 3. ad Belgas. N. 40.

Utopenfium) Thomas Morus Angliae fub Henrico VIII. Prudentiffimus, fed fimul infeliciffimus Cancellarius, confinxit novam infulam, Utopiae nomine infignitam, in qua optimum Republ. ftatum fub conficto fcribendi genere repraeftentat. Librum eruditionis, et civilium rerum nari, femper magni fecerunt, interque eos Erafinus et Budaeus: Utriusque Epiftola Utopiae praefigitur, et figillatim ex Budaei Epiftola maximam partem excerptit Thomas Greenius, et pro more fuo, qui eruditus nec ubique feligendi prudentia, nec annotandi, allegandi, et excerpti pericia, refpondere videtur, Difertationi Ifagogicae Jo. Andr. Boffi, de comparanda Prudentia civili, fubjunct, pag. 389. Inter alios ritus in Utopia receptos, et laudat jucundiffimum recenset, p. 222. Edit. Hanov. anni 1613. quem pluribus annotare verbis, fpatii amplioris ratione exclufus, praetermitto.

In hortum) Haec verba refpiciunt Antiquitatem, apud veteres Qvirites folennem, cujus meminit Scaevola, celebris Juris Sacerdos, L. Penult. ff. de Don. inter Vir. et ux. Qua Sponfa ducebatur in iis nuptiis, quae folenniter contrahebantur, ad praefinitum in Legibus tempus in hortum, figillatim in domicilio, quod Scaevola appellat diaetam, in qua a Sponfo et arbitris remota affervabatur ad id usque temporis intervalum, quo more recepto domum duceretur, et ritu confueto per aquam et ignem, diruta prius diaeta, folenniter in locum matrisfamilias cooptaretur. Hujus ritus meminit Terentius in Adelphis Act. 5. Sc. 7. his verbis: Atque hanc in hortum Maceriam jubet dirui, ubi explanator Donatus pauca ad rem pertinentia fubjunct, et Weizius, egregius humanitatis Doctor, et infigne Gothani Gymnafii decus, hunc ritum plane praetermiffit. Quod Scaevola dicit in hortis, Terentius exprimit in orto, quod ille diaetam, hic maceriam appellare confuefcit. Per hortos vero illi intelliguntur, qui aedibus fubjunguntur, qui fignificatus in Legibus est frequens, quorfum L. urbana 198. ff. d. V. S. & L. ult. in Princ. ff. de fervit. Praed. urban. Diaeta in fori fignificatione denotat habitationem in orto amdenitatis et voluptatis gratia exftructam, L. 43. §. 1. ff. de Leg. L. 1. L. 13. §. ult. ff. de Ufuf. hujus diaetae mentionem facit Plinius, Lib. 2. Ep. 17. Quo in Loco M. S. Codex legit Zeta, quam notionem Aeolum more, qui pro 249. non raro ufurpare folent, Lampridius in Heliogabali vita cap. 30. inflexit, ad quem locum Cafaubonus et Salmafius conferri merentur. Sveronius retinet diaetae appellationem in Claudio, cap. 10. quam contra difsentientem fuppeditat Ludovicus Caelius Rhodiginus, Antiquarum Lectionum Lib. 12. c. 18. quem iccirco caftigat Voffius in Etymologico voce Zeta. Plura de hac voce fuppeditant Laurentius Pignorius in erudito de fervis commentario, p. 572. et Antonius VVeiferus, peculiari de Zeta epiftola, docte eleganterque confecta.

00 (0) 00

X 2656185





F. K. 52. (14)
De illustri Caspovianorum familia

Za
5030

SOLEMNIA GRATVLATIONIS,

Sponso nobilissimo, generisque antiquitate, et eruditionis fama in cluto,

DOMINO,

JO. BENEDI-
CTO CARP-
ZOVIO,

Jcto celebri,

ET

JO. CHRISTI-
ANAE,

Sponsae

Lectissimae, ex generoso Reinhardtianae stirpis

Sanguine prognatae,

IPSO NVPTIARVMSACRO,

quod in fastis VI. Cal. Octobris

A.O.R.M.DCCI. designat,

Ex Sanctiori Clientelae Lege, et pietate erga utramque familiam,
consecrata

Joanne Dopperto, Francofurtensi.

Praelo Functionario apud veteres Dresenos.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)